



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ignatii Loiolae Vita**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Venetias ad Ignatium socii veniunt. Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11486**

epulas degustavit; tantum absuit, ut in iis veneni deprehendit  
 quidquam, ut etiam ardenti quodam rerum cœlestium amore in-  
 flammatus, mortalibus commodis nuntium sponte remisit, ac  
 que ultro ad Ignatii voluntatem & vitæ rationes adhaerit. Et  
 Veneta verò nobilitate in primis eo secessu ac meditatione pro-  
 fecit Petrus Cõtarenus Zachariæ filius, is qui multo pòt, magis  
 cum integritate ac sanctimonix laude, Paphensem Episcopatum  
 administravit. Sed & aliorum ex Ignatii consuetudine insigni  
 vitæ morumque mutatio est consecuta. Quæ quoniam nec ab ob-  
 scuris hominibus & incolis celeberrimæ civitatis fiebant, brevis  
 ut aliis locis antea, sic tum Venetiis Ignatii pietas in crimen inur-  
 diamque vocari cœpta, non ferente diabolo, tantam sibi prædam  
 è faucibus eripi: statimque vulgatum ab eiusdem emissariis est,  
 Ignatium pravitatis hæreticæ semel iterumque convictum in  
 Hispania elapsum è custodia, in Galliam profugisse; ac proinde  
 eius effigiem ab Hispanis Inquisitoribus ignominix causa publi-  
 cè concrematam. eundem Parisiis novas molientem res, infici-  
 temque perniciosæ doctrinæ labe scholasticos: ubi delatum suum  
 nomen ad sacra tribunalia odoratus fuisset, fuga præceperit li-  
 storum manus & consilia magistratum. Quas criminationes  
 Ignatius cum non modò in vulgus, iniquorum opera sparsas, ve-  
 rum etiam ad Legatum Apostolicum Hieronymum Verallum,  
 qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, delatas inaudisset, non tam de-  
 sua, quam de Sociorum existimatione sollicitus, ultro ad Legatum  
 adiit, & acriter institit, ut eorum criminum quæstio exerceretur.  
 quod ita factum, & veritate comperta, honorificè à Legato est  
 absolutus, incumbente in eius causæ cognitionem Gaspare Do-  
 cto legati affecla; qui ex eo tempore Ignatium vnicè dilexit, ac  
 sacratissimæ domui Lauretanæ deinde præpositus, in Societatem  
 vniuersam plurima egregiæ voluntatis officia contulit.

VENETIAS AD IGNATIVM SO-  
 CII VENIUNT.

CAPVT III.

**D**VM hæc in Italia gerit Ignatius, interim bello inter  
 Christianos ingravescente Reges, cum exercitu formi-  
 dabili Cæsar per Insubrum & Allobrogum fines in Gal-  
 liam irruerat. Ea fuit sociis Ignatii causa & profectiois mate-  
 randæ, & itineris per Thuringiam, seu Lothoringiam atque Ger-  
 maniam

maniam, sanè incommodo anni tempore faciēdi. Igitur pecunia rebusque omnibus, præter viaticum & scripta, in Christi Domini gratiam distributis, mense Nouēbri anno circiter post discessum Ignatii, suo quisque baculo innixi pedites viam capessunt, & quidem tanta cum alacritate ac feruore spiritus, vt ne à Iacobo quidē Laine, viribus nondum è recenti morbo recuperatis, extorqueri potuerit, quominus & pedibus ambularet vt reliqui, & inter ambulandum insuper inualida membra discruciatet hispidio in primis & horrenti cilicio. Vestitus erat omnium, vt peregrinorum & pauperum, nequaquam elaboratus, & ad modestiā submissionemque compositus; pendebat è scapulis mantica ex corio, in qua sacra Biblia & breuiarium asseruabantur, & scripta, quæ diximus. Rosaria verò, ad catholicam fidem vel inter ipsos hæreticos profitendam; palam gestabant è collo suspensa. Hospitium ingressi, primùm omnium, nullo adstantium respectu, nixi omnes genibus Deo gratias agebant; eundem in egressu pariter sibi propitium precabantur. Sobria & frugalis erat mensa; oratio ac meditatio non solum in diuersoriis, verum etiā in ipso itinere plurima; sacerdotibus, qui tres erant, sacrificantibus, ceteri quotidie cælesti reficiebatur pane, sermo nisi de rebus diuinis aut necessariis ferè nullus; in decernendo, si quid in deliberationem incideret, mira concordia: in superandis viarum difficultatibus periculisque, summa constantia & æquitas animi. Autumnales pluias tota ferè Gallia pertulerunt: occurrere mox Alpes panè obstructæ niuib; multa fuere subinde famis, frigoris, defatigationis incommoda subeunda: nihil se illis obiecit tam arduum aut tam extimescendū, quod eorū quemquā à concepta religione officioque deduceret. Atque hac disciplina pacisque custodia, cum omnibus, per quorum fines transierant, populis bonus odor in Christo fuissent; cunctis nō catholicis modò, sed etiā hæreticis nouum ac religiosum agmē magna cum approbatione mirantibus, ad tertium Idus Ianuarias anni MDCXXXVII. Venetias ingenti omnium gaudio & mutua gratulatione sospites ad Ignatiū peruenerūt. Atque vbi paululū è longa contentione ac lassitudine quietis est captum, statim Hierosolymitanæ prouinciæ consilia renouantur; primùm omnium, rati gratiora superis fore sua studia, si ad ea summi totius Ecclesiæ Pastoris auctoritas & consensus accederet, simul atque hyems remitteret, tunc vel maximè saua, Romam ire constituunt, & à Pontifice maximo ius tum ad sacros ordines, titulo voluntariæ paupertatis; tum ad mansionem Hierosolymitanam, & prædicationem Euangelii,

sine ullo interdicti metu suppliciter petere. Interea Venetiis ne-  
 cessarent, atque adeò ut quadam quasi rudimenta futura mili-  
 taria ponerent; publicis valetudinariis inter se distributis, ægros  
 ac pauperes omni ope adiuuare instituerunt: Confessionis & Eu-  
 charistiæ sacramenta gratis ministrare, qui per sacerdotium po-  
 terant: cæteri solari iacentes, afflictos mœrentesque spe cele-  
 stium bonorum erigere; adesse animam agentibus, cunctos  
 denique ad patientiam fidemque adhortari: nec modò spi-  
 ritualibus officiis fungi certatum, sed ne vilissima quidem ac  
 seruilia corporibus pauperum curandis defugere ministe-  
 ria; sternere lectulos; euerrere sordes; purgare scaphia; cada-  
 uera defunctorum ritè curata humi condere, interdum pariter no-  
 ctuque omnibus præstò esse tanta cù alacritate ac diligentia; ut  
 cuncti obstupescerët, vulgatoque rumore, principes etiã viri ad  
 spectaculũ cõuenirent. Quibus in officiis cum aliorũ omnium, rù-  
 Xaverii præcipuè caritas ac virtus enituit. Is cum in quendam inci-  
 disse morbo Gallico misero deformatum, atque ad eius aspectũ  
 exhorruisset, ut ea re infringi ac debilitari sensit caritate in pro-  
 ximum, ita repètè in semetipsum excanduit egregius. Christu mi-  
 les, ut manantem sanie ex ulceribus purulentis, (cuius rei vel mē-  
 tionem aures delicatae refugiant) obfirmato animo, semel iterũ  
 que nõ dubitavit exfugere: qua re nõ modò se ipsum in præsen-  
 tia præclarè vicit, sed etiam in omne tẽpus propriam quandam  
 atque perpetuã in elephantiacos atque vlcerosos clementiam &  
 misericordiã est consecutus: quam deinde, vbicumque terrarum  
 fuit, quotiescumque se dedit occasio, diligenter exercuit. Quidã  
 etiam è sociorum numero, pauperẽ lepra toto corpore coopet-  
 rum, cum præfectus nosocomii non admitteret, in suum lectum  
 accepit ipse. cumque manè surrexisset cunctis ingemiscensibus  
 eadem ipse quoque morbi sceleritate correptus; postridie non si-  
 ne miraculo prorsus illæsus atque intactus apparuit. Hac & alia  
 eiusmodi verã pietatis & officii documenta cum in ea vrbe de-  
 didissent, (quorum ibi grata in multos annos deinde memoria vi-  
 guit) appetente iam vere, uti condixerant, Romam cuncti ferè,  
 præter Ignatium, discesserunt. Ipse tum ad parra in Domino reti-  
 nenda, tum ad expedienda quæ ad nauigationem pertinerent, ibi-  
 bidem interea substitit. Atque illi quidem eadẽ ferè disciplina,  
 quam suprã diximus, iisdemque imbrum difficultatibus, iter in-  
 gressi; ad superiorem parcimoniam ac frugalitatem illud etiam  
 addidit, ut neque ullo prorsus viatico, diuinæ tantum providen-  
 tiæ bonitatisque fiducia, Romamque contenderent; & quia tum

Cineralium seu Quadragesimæ tempus erat, quotidie, quamquã in tantis laboribus, ritu catholico ieiunarent. Nec sanè defuit illis & exercendæ spei, & Christi Domini inopiam ac perseuerantiam aliqua saltem ex parte imitandi materies: acciditque aliquando, vt cum panis dumtaxat frustulum singuli manè sumpsissent, imbre densissimo stagnantibus latè campis, vt alicubi pectore tenus aqua pertingeret, nullo præterea cibo, millia passuum ferme triginta nudis pedibus vno die peregerint, & quidè incredibili non modò tranquillitate animi, sed etiam hilaritate psallentes. Diuersorioris verò cum propter inopiã excluderentur, & ad publica xenodochia de more confugerent, quamuis oppidò lassè, tamen iis, quæ supra diximus, caritatis muneribusungebantur: seque ipsi domare ac vincere magis magisque nitebantur in dies. Sanè Rauennæ quidã ex iis cum hospitalis lectuli sordes ac manatia tæbe stragula nauseabundus vitasset, quæ prima deinde occasio data est suimet puniendi, nõ prætermisit. In pago nescio quo pauper phthiriasi consumptus è vita migrauerat; cum in eum pagum nostri venissent, distributisque cubilibus nullum iam superesset, nisi quod phthiriacum fouerat, Pater ille amissam nuper palmam recuperare vehementer exoptans, nudus illico per summum animi ardorem easdem subiit lodiçes, ibique sese identidè versans, cùm ingentes animalium greges ea tota pauisset nocte; ad sudorem vsque defatigatus, non leues ab se prioris fastidii ac deliciarum pœnas exegit. Denique sanctam Urbem ingressi, vt sacra Apostolorum limina & præcipuæ religionis templa castè obierunt, à Petro Ortizio Hispano Cæsaris procuratore ad Pontificem maximum introducuntur. Is erat eo tẽpore Paulus III. è gente Farnesia, cuius nomini plurimum utique nostra Societas debet. Consueuerat autè super mensam non fabulatores aut mimos inducere, sed præstares philosophos atque Theologos; & ipsemet, veritatis indagandæ atque illustrandæ causã, ponere de quo inter se disputarēt. ea erat grauissimi senis & prudentissimi Principis oblectatio. Ad has ergo disputationes post pedum oscula Patres adhibiti, cùm egregiũ qua Christianæ humilitatis atque modestiæ, qua eruditionis & ingenii specimen præbuisset; nõ modò quæ volebant de sacerdotio, deque Hierosolymitana prouincia, libèrte atque approbãtè Põtifice impetrarunt, sed insuper pecunia ab eodè instructi & fausta cùm prece dimissi sunt. Ad quam deinde pecuniã, cùm è nationis maximè Hispanicæ collatione accessisset, quæ aureorum amplius ducetorum summam expleret, loci, ne quid ex eo viatico præterquam in usum votiua navigationis

attingerent, apud mensarios pecunia omni deposita, & Romæ victum emendicantes, admirabile dedere spectaculum iis, qui coram Pontifice disserentes illos audierant: & deinde quemadmodum venerant, sic Venetias prorsus egentes ac vacui reuerterunt.

SACRIS INITIATUR IGNATIVS: ET DE  
REBUS AB EODEM ET SOCIIS IN  
Veneta ditione gestis.

CAPVT IV.

**P**OST hæc, diligenti adhibita præparatione, cum ad eiusdē Legati Veralli pedes perpetuæ paupertatis & castimonia nūcupassent vota, diuini amoris igne succensi, mirate ac maiorem in modum approbante populo, sese denuo ad pristinos illos labores & assidua pauperū ministeria retulerunt. Deinde in exitu mēsis Iunii, diui Ioan. Baptiste die natali, Ignatius & reliqui laici per omnes ordinum gradus ad apicē sacerdotiæ Vincencio Negosantio Fanensi, Arbensiū Episcopo, euecti sunt, tanta nō modò ipsorum, sed etiā ipsius Episcopi lætitiæ & animi voluptate, vt sese inter eiusmodi cæremōnias nihil vnquam simile sensisse affirmaret. Interea Patribus nec; in eā diem vlla fuerat in Palestinam transmittendi facultas; & eō ipso tempore, cū graue bellum ex fœdere Christianorum principum Venetos inter & Solymanum Turcam exarsisset, sublato repētē commercio, omnis non modò peregrinorum, sed etiam institorū nauigatio conqueiuit; vt satis appareat, caeleste numen irarum gētibus iis, quæ creditum sibi regnū Dei per summum olim scelus negligentiamque amiserit; Apostolicum hunc deuotūque sibi manipulū in alias longè nationes atque prouincias iusto iā antè iudicio destinasse. taque propter eam quæ dixi causam, spe trajiciendi sublata, quamquā voti religione soluti videri prope modum poterant, tamen ne quis omnino scrupulus animis insideret, sine anni uertentis, vti Parisiis antè decreuerant, prorsus exspectare, sequentem tum ad sacerdotii primitias diuinæ maiestati libādas omni diligentia cōparare; tum etiā post multam precationem & abstinentiā proximis operam ex instituto nauare constituunt. Id quo liberiūs atque commodiūs facerent, è tantæ vrbis celebritate ac frequentia in finitima eiusdē ditionis oppida aliò atque aliò recepere sese: vt si fortè (quod tamen in præsentia vix fieri poterat) bello sedato præter opinionem transitus patuisset, è propinquo Venetias cuncti simul accurrerent. Franciscus ergo Xauerius &

Sal-